FLORA.

59. Jahrgang.

№ 3. **Regensburg, 21. Januar** **1876.**

Inhalt. A. de Krempelhuber: Lichenes Brasilienes. — Hugo de Vries: Ueber Wundholz. (Fortsetzung.) — Stephan Schulzer: Mycologisches. — Anzeige. — Einläufe zur Bibliothek und zum Herbar.

Lichenes Brasilienes,
collecti a D. A. Glaziou in provincia brasiliensi Rio Janeiro

auctore Doct. A. de Krempelhuber.

Praefatio.

In Brasilia, hac terra ab amabili Flora tam eximie fauta, proveniunt etiam permulti lichenes, et quidem undique locis, ubi conditiones naturales, sub quibus hae plantae nasci et vivere possunt, datae sunt. Amant lichenes praesertim etiam ibi, ut in Europa, plagas magis apertas, ex. gr. silvarum oras locaque in iis collucata; hic reperiuntur, sicut apud nos, hae plantae et quidem plerumque species regionibus tropicis propriae, ad rupes et saxa, ad terram, arborumque truncos et ramos, tum in planitie, tum in montibus usque ad summa cacumina. In silvis vero densis primitivis, umbrosis, a plantis plerumque numerosis laqueatis pertextis itaque raro vel nunquam a solis radiis collustratis, quales silvae obtegunt Brasiliae amplas planities et montes altos, lichenes rarescere aut omnino deesse videntur, quod etiam beatus de Martius quondam mihi coram affirmavit.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0035-7

Etiam loca valde aprica a lichenibus vitari solent.

Haec facta autem e natura lichenum facile declarari possunt. Nam sine aëre, luce et madore mediocri nusquam vegetatio lichenosa normalis.

Jam complures botanici in Brasilia peregrinantes et antea et temporibus recentioribus e provincia brasiliensi Rio Janeiro et alibi praeter plantas phanerogamicas etiam lichenes reportaverunt, ex. gr. Gaudichaud, de Martius, Freireiss, Sellow, Princeps de Neuwied, Raddi, Auguste de St. Hilaire, Beyrich, Gardner, Wawra, Warming et pl. al., sed ab his (exceptis de Martio et Warming) plerumque tantum lichenes majores, foliacei vel fruticulosi, forma et colore magis elucentes, collecti sunt, multo rarius vero lichenes minores, crustacei, ubique tam copiose divulgati.

Annis autem postremis, Dom. A. Glaziou (director du Passeio Publico Rio de Janeiro) lichenes suscepit sensim colligere, quantum possibile fuit, omnes in provincia Rio Janeiro provenientes. Cuncti hi lichenes congesti nobis a D. Glaziou determinationis causa commissi sunt [1]), eorumque enumerationem et descriptionem nunc continet praesens commentatio nostra.

A d. W. Nylandero quoque pars minor horum lichenum brasiliensium (72 species) anno 1869 determinata et descripta est in Flora Ratisb. hujus anni pag. 117—126 sub titulo: „Lichenes in Brasilia a Glaziou collecti", quod fragmentum plene insevimus commentationi nostrae praesenti.

---

1) Plurima hujus collectionis specimina eodem tempore a D. Glaziou etiam celeber. Féeo, qui tum domicilium suum in urbe Parisiis collocaverat, communicata erant hicque annis 1871 et 1872 in ephemeride: Bulletin de la soc. bot. de France tom. XX, p. 311—319 et tom. XXI, p. 21—32 publicavit diagnoses breves et imperfectas specierum e generibus Lecanora, Lecidea et Graphis, in collectione Glaziouana repertarum. Sed cel. Féeus jam ex anno 1838 circiter, itaque per annos triginta septem lichenum studium et omnia in lichenologia ex illo tempore usque ad dies hodiernos nova detecta omnino neglexerat, immoque interdum specierum ab ipso olim propositarum, eas nunc non amplius agnoscens, omnino oblitus erat, ex. gr. Helmintocarpon Le Prevosti-Fée, Graphidis cometia Fée etc.

Dedit itaque in hac commentatione, postrema quoad botanicam ab hoc grandaevo caeterumque de scientia botanica meritissimo viro publicata, opus pro dolore! errorum plenum, infidele et in hodiernam scientiam lichenologicam nullo modo congruens, meliusque sane fuisset, si de his lichenibus Glaziouanis tacuisset.

At nihilominus admirabile sit movensque, quod venerabilis senex, sciertiae nunc morte ereptus, fine longissimae vitae, iterum ad lichenes, ab juvene olim tantopere cultos et amatos, reversus est.

Sic etiam in scientia aemabili adagium antiquum „Vetus amor non moritur" (germanice: „Alte Liebe rostet nicht") probatum est. —

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0036-3

Enumeravimus in hac postrema 350 species, inter quas 110 species novae, itaque plures, quam antea unquam ab ullo botanico in Brasilia collectae sunt.

Recte igitur et vere dici potest, celeb. Glaziou de meliore cognitione vegetationis Brasiliae lichenosae prae aliis optime meritum esse.

Secundum notitias, a dom. Glaziou nuper benigne nobis communicatas lichenes fere omnes in commentatione praesente enumerati et descripti in provincia Rio Janeiro, et quidem pars una minor, lichenes saxicolas complectens, ad rupes graniticas regionum litoralium inter Cabs Frio et Anyra dos Reis collecti sunt, sed loca litoralia in vicinitudine urbis Rio de Janeiro, ex. gr. Ponta negra, Itaipu, Nietherohy, Copacabana, Gavea, Guaratiba etc. jam plures, nempe duas tertias horum lichenum praebuerunt; reliqui pertinent ad regiones alpestres, in quibus surgunt montes Alto Macahé, Nova Friburgs, Serra dos Orgaôs, Serra da Estrella, do Cingua, Pedra do Coulto.

Etiam grandis massa montium graniticorum, quae Italiaia nominatur, cujus cacumina usque ad 2714 metr. elevata sunt, dedit plures lichenes saxicolas; in his montibus autem et in cacuminibus dorsisque montium Serra dos Orgaôs, altitudinem usque ad 2230 metr. adtingentibus, lichenes saxicolae maxime notabiles reperti sunt.

Lichenes corticolae et foliacei per maximam partem inventi sunt in silvis primitivis et secundariis, latera et diclivitates montium supra denominatorum vestientibus, quibus adhuc addendae silvae montium Corcovado, Bynca, Prisia grande, Jaearèpaguá et Mocaco; haec loca, urbi Rio Janeiro proxima, propter eam causam prae aliis diligentissime lichenologice perscrutata sunt et ex iis reportavit D. Glaziou saltem dimidium specierum, quas subtus enumeravimus.

Dolemus, quod stationes speciales lichenibus nostris addere non possibile fuit.

In provincia Rio Janeiro, scripsit D. Glaziou in litteris, nulla plaga adest, ubi non lichenes reperiundi sunt; ubique obtegunt ibi hae plantae copiose arbores et rupes, mox hanc mox illam expositionem praeferentes. Multae species vegetant et ad litora maris et in cacuminibus montium Italiaia et Serra dos Orgaôs; Usneae ex. gr. proveniunt ab oris maris usque ad summa montium cacumina, nec hic nec istic formas suas manifeste mutantes, quod valet etiam omnino quoad Cladonias, Parmelias, Peltigeras etc.

Sequitur nunc conspectus lichenum omnium a D. Glaziou in prov. Rio Janeiro collectorum, secundum ordines naturales dispositorum.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0037-9

Conspectus

Lichenum omnium a D. A. Glaciou in provincia Rio Janeiro repertorum.

Nomina Generum	Numerus specierum	Inter species enumeratas adsunt: species novae	species etiam in Nov. Gran. proven.	species etiam in Europa. prov.
1. *Leptogium*	6	.	4	1
2. *Phylliscum*	1	1	.	.
3. *Heterina*	2	1	.	.
4. *Endocarpiscum*	1	.	.	1
5. *Trachylia*	1	1	.	.
6. *Sphaerophoron*	2	.	.	1
7. *Baeomyces*	2	1	.	.
8. *Cladonia*	11	.	3	3
9. *Cladina*		.	.	.
10. *Stereocaulon*	2	.	2	.
11. *Usnea*	3	.	3	1
12. *Ramalina*	10	.	4	1
13. *Peltigera*	2	.	2	2
14. *Sticta*	9	1	.	6
15. *Ricasolia*	2	.	1	.
16. *Parmelia*	12	.	8	3
17. *Physcia*	13	.	11	7
18. *Pyxine*	1	.	1	.
19. *Pannaria*	4	.	2	1
20. *Coccocarpia*	2	.	2	.
21. *Erioderma*	1	.	.	.
22. *Cora*	1	.	1	.
23. *Dichonema*	1	.	1	.
24. *Amphiloma*	1	.	.	1
25. *Lecanora*	23	9	10	7
26. *Urceolaria*	2	1	1	1
27. *Pertusaria*	11	5	4	2
28. *Phlyctis*	3	2	1	.
29. *Thelotrema*	20	10	6	.
30. *Ascidium*	6	2	3	.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0038-5

Nomina Generum	Numerus specierum	Inter species enumeratas adsunt: species novae	species etiam in Nov.Gran. proven.	species etiam in Europa prov.
31. *Gyrostomum*	1	.	1	.
32. *Coenogonium*	4	3?	1	.
33. *Lecidea*	41	19	13	6
34. *Xylographa*	1	.	1	
35. *Graphis*	78	33	27	2
36. *Helminthocarpon*	1	.	1	.
37. *Platygrapha*	3	1	1	.
38. *Opegrapha*	9	4	3	.
39. *Arthonia*	10	4	4	4
40. *Glyphis*	3	.	2	.
41. *Chiodecton*	7	2	4	.
42. *Verrucaria*	27	7	11	2
43. *Strigula*	2	.	2	.
44. *Melanotheca*	1	.	.	.
45. *Trypethelium*	6	1	2	.
46. *Astrothelium*	1	1	.	.
Summa	350	110	143	52

Sunt in summa, ut jam supra diximus, 350 species, inter quas primo loco specierum numero praevalent species generis Graphis (78 spec.); sequuntur tunc species generis Lecidea (41 spec.), Verrucaria (27 spec.).

Valde parvus pro ratione est numerus generum Baeomyces, Stereocaulon, Peltigera, et species generum Calicium, Alectoria Evernia, Cetraria, Umbilicaria, Endocarpon et pl. al. omnino deesse videntur, quod etiam ex aliis terris tropicis jam satis notum est.

In generali lichenum Flora provinciae Rio Janeiro similitudinem nonnullam habere videtur cum illa Novae Granadae, a celeb. D. A. Lindig ante paucos annos tam diligenter lichenologice exploratae. Invenimus circ. 143 species his ambabus terris communes. Species vero Europaeas, etiam in prov. Rio Janeiro provenientes, tantum 52 numeravimus. Sunt fere omnes Brasiliae lichenes species mere tropicae.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0039-3

Nonnulli, ex. gr. Physcia cymbalifera tantum Brasiliae proprii videntur [1]). Sed ad explicationes ampliores quoad has rationes adhuc desunt materiae sufficientes.

Utinam placeat botanicis postea Brasiliam peragrantibus, etiam alias Brasiliae partes perscrutare eadem diligentia et perseverantia, qua exegit D. Glaziou per plures annos explorationes suas lichenologicas in prov. Rio Janeiro, id est, quod tandem valde desideramus et botanicis temporis futuri recommendare velimus.

Monachii 30. Oct. 1875.

Auctor.

(Continuatur.)

Ueber Wundholz.

Von Dr. Hugo de Vries.

(Fortsetzung.)

Kurzzellige Zone des Wundholzes. Zwischen der langzelligen Zone und dem Rande der Wunde liegt, wie schon mitgetheilt wurde, ein kurzzelliges Holzgewebe. Das Cambium aus dem dieses sich entwickelt hat, hat sich gleich nach dem Anfange des Versuches quergetheilt. In dem der Wunde näheren Theil war diese Theilung für jede Cambiumzelle eine dreimalige; in dem entfernteren Theil nur eine einmalige. Die so entstandenen kurzen Cambiumzellen spitzten sich allmählig zu, mit Ausnahme der in der unmittelbaren Nähe der Wunde befindlichen, — welche sich zu isodiametrischen Zellen umbildeten. Nach diesen beiden Merkmalen haben wir oben in dieser Zone drei Abtheilungen unterschieden.

In der oberen haben sich die Cambiumzellen je nur einmal, und zwar in ihrer Mitte getheilt. Die Theilungswand stand senkrecht auf der Achse der Zelle, bald aber spitzten sich die so gebildeten, kurzen Cambiumzellen zu. Dem entsprechend beobachtet man in den inneren, zuerst gebildeten Holzschichten dieser Region ausgewachsene Elementarorgane, welche einerseits spitz,

---

1) Parmelia cymbalifera Eschw. in Mart. Flor. bras. pag. 222, olim in provincia Buenos Ayres a d. Sellow lecta, nunquam iterum nec ibi, nec in plaga alia Brasiliae vel regionum tropicarum, quantum scimus, reperta est; haec species notabilis sine dubio est una ex lichenibus terrae nostrae rarissimis.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0040-4

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1876

Band/Volume: 59

Autor(en)/Author(s): Krempelhuber August von

Artikel/Article: Lichenes Brasilienes collecti a D. A. Glazion in provincia brasiliensi Rio Janeiro 33-38